



*Hist. von, Lea. K. 306.*



1951  
BIBLIOTHECÆ  
STOLPENSIS

JUSTA PERSOLVIT

ET

SOLENNIA SCHOLÆ  
SUÆ

REVERENTER INDICIT,

M. CHRISTIANUS AUGUSTUS FREYBERG,  
RECTOR.


---

DRESDÆ,

I. C. STÖSSELIUS, TYP. AUL. IMPRESSIT.

*Litter. Sa  
12*





Alamitoso hoc mihiqve illætabili anno, quo gravissima accepi vulnera, & quam acerba sæpe rerum humanarum oriatur vicissitudo, documentum ipse fui, *Stolpenæ* meæ, quam & patriam, & nutricem habui, nimium, & majore, quam vellem, animi horrore meminisse necesse fuit. IV. Martii mensis die, tenebris jam obortis, ignes conspicabantur cives mei, domibus excidium, rei familiari detrimentum, civitati cladem, arci malum, turribus casum, templis ruinam, curiæ pestem, hominibus suppliciorum ultimum, *universæ Stolpenæ* exitium minantes, & ut breviter communes misérias, in quibus ea nocte Stolpenses verfabantur, exponam, nasci videbant malum, crescere, late fundi, nec prius intermori, quam pari pene omnes fortuna perculsi essent. Rogus ille *Stolpensis* a severo & justo peccatorum vindice DEO in editiore hujus regionis specula extructus non viciniæ modo *Dresdæque* nostræ montium radicibus adjacenti, sed vel *mediæ Misniæ*, & *Lusatias* etiam ac *Bohemias* longe lateqve colluxit, triste oculis spectaculum subjecit, domesticum divinæ iræ exemplum præbuit, lamentabile apud animos publicæ calamitatis monumentum reliquit. Ad cujus cineres, parvasqve *patriæ*, quam charissimam semper habui, reliquias visendas cum tertio post deflagrationem die venirem, solitudinem in oppido videbam, agmina plangentium, qui manus ad cælum tenderent, & nunc sortem suam, nunc publicam fortunam deflerent, in suburbiis, in suburbano, cui flamma pepercerat, templo, (dies enim Deo facer erat ob convictores Christi *πεντακισήτης* maxime memorabilis Joh. VI.) tympano advocatam concionem miserabilem, sordida ser-



ferviliqve tunica (1) pallore & tristitia oris deformatos, miser-  
 rimos homines, quibus exhaustis præter vitam modicamque su-  
 pellectilem nihil erat super, exules, post tot vetustatis decora &  
 tot ornamenta civitatis ablata, miseratione mutisque lacrymis  
 dignos. Nos vota faciebamus, & adhuc quotidie facimus, ne  
 hac perculsi plaga titubent, succumbant, & velut desperatis re-  
 bus nullam sibi salutis spem relictam esse arbitrentur, sed, ut Ma-  
 gni Alexandri milites (2) ad omnia parati exustis olim opibus  
 farcinarum potius quam disciplinæ fecisse jacturam lætabantur,  
 ita illi fecisse malint fortunarum suarum ac possessionum, quam  
 patientiæ, spei, fidei, pietatis detrimentum. Decefferunt etiam  
 complures beata morte ex afflictorum civium conspectu, familia-  
 risque rei ruinis, atqve ex immiti exilio in domum migravere  
*ἀχειροτόμητον, αἰώνιον ἐν τοῖς ἕρηνόις*, (2. Cor. V, 1.) in quo mense ab-  
 hinc quarto fuit numero Mater nostra dulcissima, cui otia faceret  
 DEUS, angoremque ac dolorem non levaret, sed auferret, quam,  
 inquam, mense post excidium *Stolpenæ* quinto (3) pium sequi  
 juberet Maritum, (4) qui trimestri ante civitatis everfionem spa-  
 tio rebus ac miseriis humanis ereptus (5) impendentem evita-  
 verat tempestatem. Triplex igitur funus est, Utriusque PA-  
 RENTIS & PATRIÆ, cujus meminisse hîc, & parentasse tam a-  
 mico ac propinquo cineri, nefas haud habebitur: Nec quem-  
 quam fore credo, qui leve & non satis dignum commemoratione  
 judicet, quarti funeris acerbi reminisci, & iusta BIBLIOTHE-  
 CÆ STOLPENSIS persolvere, tota succumbente flammis civita-  
 te, in communi una cum aliis Majorum reliquiis rogo sepultæ.  
 Na-

(1) Unus audebat homo Cartalonis exemplum sequi, Just. XVIII. c. 7.

(2) Curt. VI, c. 6.

(3) XI. D. Julii.

(4) M. CHRISTOPHORUM FREYBERG. Pastorem Stolpensem, quem apud  
 omnes Bonos in summa esse laude gaudemus, id vero nobis vehemen-  
 ter dolet, livorem ne post fata quidem quiescere.

(5) XXVIII. D. Nov. M DCC XXII.



Natalis ejus inciderat in ea tempora, quæ magnam illam commutationem rerum LUTHERO adventante factam antecederant, quum STOLPENA Misenenſium Episcoporum pareret imperio, Eorundemque ipſa sæpe ſedes eſſet, ſeceſſus & tribunal, quibus ab AUGUSTO SEPTENVIRO prudenter ac feliciter exterminatis, diviniſque rebus ſumma cura & pietate conſtitutis, Bibliothecam hanc, poſſeſſione vacua, fortuito dominorum exilio, ſicuti caduca occuparunt ſacrificulorum Romanorum ſucceſſores, intemeratæ Veritatis, quæ pietatis eſt genitrix, diligentes. Sed alios heros veterum diſſimillimos naſta ſupellex ea libraria in eodem non uſquequaque fuit pretio, digna nunc judicata, quæ removeretur & magna ex parte deleretur, (6) nunc in ſacro & illuſtri loco repoſita, nunc in anguli anguſtias relegata, ubi cum pulvere, ſitu, putredine & muribus certandum illi erat, nunc manibus obnoxia facta nocivis, auratis, ſciteque pietatis antiquarum literarum notis amputatis mutilata, nunc in lucem iterum prolata, in ordinem ſtudioſe redacta, aucta dignitate & amplificata, ut & prodeſſet & delectaret. GEDAVIA vicus in limite Miſniæ ad Orientem verſus haud ignobilis, & quondam longe celebratior, Stolpenſi nunc Satrapiaſe ſubjectus, & amplo ac ſplendido templo inſignis librorum etiam olim reliquias, hæredium à Miſenenſis Peſiſectatoribus relictum habuit, quod Gedaviensis quidam Paſtor, (nomen non enuncio,) lucri quicquid ſit, id domum trahi oportere ratus, Croſtwiceniſi nobiſcum ſacris non cohærenti Plebano, cujus ſequebatur amicitiam, vicino vicinus donavit, hac quidem poſtea pro merito iſto relata gratia, ut plenas colos Heræ Sacerdotis Croſtwiceniſes ſceminæ exonarent. (7) STOLPENSI Bibliothecæ nihil tali & tam fordido com-

(6) Cat. logo Bibliothecæ Majores noſtri hoc elogium adjecerant: Diß iſt der <sup>a</sup> Schatz in der Liberey, wâren die meiſten werth/ daß man ſie hinweg räumete.

(7) Referebat hoc nobis a. 1717. in Budiffinenſi itinere Vir Venerabilis, Dn. Milo.



commercio unquam detractum est, tota vero nunc igne perit, & esse ita desiit, ut numerum tantum titulosque librorum & flores quosdam superstites ei esse voluerit fortuna in nostra Bibliotheca, umbræ jam ac nominis, licet corpus evanuerit, custode. Libri quidem multi extabant, inscitiae, barbariei, vecordiae, simplicitatis, superstitionis, *εθελοθρησκείας*, maximarum nugarum & tricarum, quibus universus olim terrarum orbis scatebat, testes, at nec ingratum, neque prorsus inutile erat, in luce tenebras vidisse, ex roseto spineta spectasse, mediis in opibus cognovisse egestatem, amara gustare, ut dulcia memineris, audire vaniloquum, ut major deinde sapientiae sit commendatio, neque illarum affinem esse rerum, quas stolidi, inepti & improbi finxisset superior ætas. MAJOR PLINIUS dicere solebat, nullum esse librum tam malum, ut non aliqua parte prodesset: (8) idem ego semper de Stolpenfi Librorum supellectile sentiebam, & vere videbar posse contendere, quanquam permulti etiam essent, qui malorum numero haberi nequirent, in bonorum autem numerum, nullo recusante, admitterentur, & vel primum in Optimorum classe locum cum meo iudicio tum aliorum facile occuparent & tenerent. Aderant PATRES (9) ingenio, arte & doctrina, ut tum erant tempora, excellentes, servabantur divinarum literarum INTERPRETES, comparebant ORATORES sacri, sed quos antiquo modo

---

M. Io. Christophorus Lehmannus, fidus adhuc Gedaviensium Pastor, cui summam & prosperam senectutem precamur, optamus.

- (8) Jun. PLIN. L. III. ep. 5. Reminiscor hic responsum B. Parentis, quod aliquando mihi, qui libellum, nescio quem, parvi pendebam, dabat: Mali libri quandoque bona saltem est præfatio.
- (9) Decem AUGUSTINI Volumina, Basileæ 1528. & 29. ex Frobeniana officina, quam probi hujus Viri nomen & claritas, ERASMI juvandi studium & Correctoris Eachneri industria ultimæ posteritati commendabunt, emissa. HIERONYMI & TERTULLIANI Opera, Frobeniani etiam factus. Tomi VII. CHRYSOSTOMI Basileæ A. 1525. ab Andrea Gratan-  
dro editi &c. &c.



Julo metiri necesse erat, (10) occurrebant veritatis, fraude, fallaciis, mendaciis summum imperium habentibus, vindices ac testes, clarissime autem exsplendescibat LUTHERUS, (11) quo nemo ingenio prudentior, animo major, rerum divinarum peritior, fide, religione, officio diligentior aut sanctior commemorari potest. Incidebat in permulta Antiquitatis amator, ex quibus fructum animo & oculis caperet, historiaram studiosus habebat omnino, quo magnopere gauderet, præsertim si sacra & ad Ecclesiam spectantis historiæ studio duceretur, Scribarum denique veterum monumenta quædam restabant, ut ne hoc quidem Bibliothecæ decus deesset: utinam vero omnes illæ nostræ superioris vitæ deliciae, templique Stolpenfis divitiæ IV Martii mensis nocte non deflagravissent, ne carbonibus quidem pro thesauro tanto relictis! Infausta hac & atra nocte, quam supremam BIBLIOTHECA habuit, in cineres quoque convertebatur, diu qui in eâ sederat, GUILIELMUS DURANTES, (12) vel DURUS ille DURANDUS, SPECULATORIS in Scholasticorum quondam regno insignitus titulo, quem quidem ut recuperet, si non Bibliotheca, quæ nulla est, saltem STOLPENA, mittimus nunc jam Patriæ dulcissimæ, ex suo paulatim rogo resurgenti disciplinæ adhuc nostræ alumnum, CHRISTIANUM DURANDUM, Collegam in Schola Tertium, Templique primarii olim, in præsentia ruinarum, Custodem futurum. Natus is est non in amplissima Civitate, sed  
vico

(10) e.g. Joannis Fauleri des heiligen Lerers Predig / fast fruchtbar zu ein recht Christlichen Leben/ deren Predigen gar nah hie in disem Buch des Halbteyls mere seynd denn in andern vorgetruckten Bucheren/die man sydhar mit der Hilff Gots funden hat/ der seyn Wort heyt wider erweckt/ und aller Welt verkundt. Getruckt zu Basel durch Adam Pestri/ 1521. etc. etc.

(11) Wittebergenses & Altenburgenses Tomos possidebamus, egregium thesaurum! & totum fere LUTHERUM.

(12) Rationale ejus Divinorum officiorum, impressum Argentine anno Domini 1493.



vico agri LAUENSTEINENSIS, aviti Perillustrium Heroum, BÜNAUIORUM peculii, Liebenavia, patre agricola honesto, magistrumque morum & doctrinarum quinquennio habuit Pirnensem Scholam, ex qua egressus in AN Æ nostræ sinum XII. Julii mensis die a. M DCC XVII. penetravit, & in Choro Musico pedem posuit, cui novissimo tempore quadriennio & sex mensibus præfuit, & Cantore ac Collega meo, Dn. IO. CHRISTOPHORO PETRIZIO, VI. D. Martii M DCC XXI. morbo feroce tunc grassante naturæ debitum reddente, tribus fere mensibus munia, etiam Defuncti in magnifica Æde nostra sedulo obiit, sua igitur laude haud fraudandus. Tali modo cum VI & XX annos pene compleisset, DEUS, cui commendatior esse solet humilis paupertas, quam insolentes divitiæ, ita illi prospexit, ut ad officium, quod Stolpenæ, posteaquam acquieverat Jo. Christophorus Kressius, annis ærumnisque gravis, ambivit, a senatu patriæ meæ admitteretur, Senatusque illud Consultum in supremo nostro sacro Synedrio rite confirmaretur, de quo statu huic nostro discipulo peramanter gratulamur, abeuntemque hodie a nostro magisterio paterno, ut omnia ei prospere cedant, voto comitamur. Nontacitus autem abibit viam suam, sed maximum existimans quæstum memorem gratumque cognosci, simulque aperire, se, ordinatim quæ fiant, rebus solere esse amicum, non prius discedet a nobis, quam ipsum & alios cum illo declamantes audiverimus, quorum primus erit

ANDREAS Köhler, Stolpensis,

latinoque sermone commemorabit, *communium miseriarum, in quibus regio & respublica versentur, Scholas semper fieri participes, & idem hic PATRONORUM aures cæteris preparabit.*

CHRISTIANUS DURANDUS

deinde de officiis Præceptoris advenæ novo erga Civitatem afflictam  
con-



*conservandis* sermone vernaculo differet, nec *suum demigrantis officium* negliget, quem ad nidos exustos proficiscentem, rebus tamen non asperum egenis venientem

JOANNES GABRIEL Hegewald, Dresdenfis,  
epico poemate solabitur, amicisque verbis bene valere jubebit.  
*Spei* (13) *humanae inesse quandoque vitium, inculpatam autem spem nunquam concidere* carmine germanico ostendet

CHRISTIANUS GODOFREDUS Johne, Borlass. Misn.  
naturam fautricem nactus in Poetice patria, nec ejus expertis svavitatis, quem subsecutus

JOANNES GODOFREDUS Schröter, Dresdenfis,  
causas dictitabit silentii nunc demum in schola nostra rupti, posteaquam illud quadriennio fere praestitimus, & primos jam tandem declamatores sistimus & producimus, idemque latina oratione EPHORIS nostris PATRONIS, FAUTORIBUS, S. P. Q. D. gratias ager, quod faciles & benevoli comparuissent, nostroque ordini interfuissent. Quae igitur Scholastica solennia cum ad proximum *Veneris* diem qui in fastis XXVI. Novembris insignitur, peractis sacris matutinis, celebranda sint, PRÆSIDES, TUTORES, AMICOS Scholæ & nostros in ANNÆ hujus Museum reverenter & decenter invitamus, lætabilemque Bonorum & Nobilium Virorum adventum avide expectamus. Scrib.

XXII. D. Novembr. MDCCXXIII.

---

(13) Curt. L. VIII, c. 14. de Poro: Ac primo humani ingenii vitio spei suæ indulgens &c.









